



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Henricus Floydus. n. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1602.

fidem professionemque Catholicam restitutorum. Ex laborum, latebrarum, carcerumque molestijs morbo non vno confictatus, calculo, urinæ difficultate, Hernia, Tussi, contractione neruorum, Podagrâ (quas omnes agri-
gritudines patientia summa coronabat) in Belgium exul anno huius se-
culi sexto confedit Audomari, in eo Seminario ager ipse agris prefectus.
Quo in munere non otio sed labore, cum poterat, & pijs narrandis ex-
emplis se adolescentisque oblectabat. Podagræ dolores Aquâ Benedictâ
cum Superioris adprecatione adpersâ, & orando solabatur, non alio
vlurus medicamine nisi obedientiâ constringente: Læctione etiam vi-
tæ Sancti Patris *Ignatii* leuamen dolorum sensisse referebat. At die vige-
simo octauo Maij currentis anni decimi septimi, perfectâ uti rebatur vlus
valetudinē, cum vacua etiam esset ab infirmis adolescentum habitatio, eam
iuncto adiutore quodam purgare à mensa aggressus, repente concidit, & fa-
ctâ eorum quæ parèe sumplerat eiectione, sopitis sensibus humo fixus hæ-
sit: Eo die Exhomologesin, remque diuinam fecerat; munitus igitur Vn-
ctionis Sacramento, morbo in Apoplexiam desinente altero post die sub-
latus est, omnium virtutum quæ religiosum virum ornare solent & la-
borum perpersionumque mercedem ab eo qui in omnes est diues receptu-
rus. Numerabat annos ætatis sexaginta duos, Societatis duos de triginta,
Coadiutor formatus ab anno sexcentesimo primo. Habuit is annus nona-
gesimus octauus, & nonus plures alios Societatis candidatos, sed quos bre-
uis vitæ vlura fecit penè ignotos; vt *Ioanem Polum* à Spinkhill in Comi-
tatu Derbensi, qui missus Vallisoletum vt præset studijs, & de consci-
entiâ quæstiones explicaret in Seminario, anno sexcentesimo quarto in Por-
tu Lucarensi diem obiit extremum, cum nondum trigessimum ætatis an-
num expleisset; vir à virtute & doctrina commendatus: *Philippus Dra-
cot* Staffordiensis, & *Cuilielmus Medcalf* Eboracensis annum vix primum
Tyrocinijs absoluere, cum ad piorum desideriorum præmia sunt vocati;
Henricus Floydus longiori certamine seruatus est.

Henricus
Floydus.

XL. Is vt supra narrauimus, missus cum *Ioanne Blacfanno* in Hispa-
nias, & defunctus regendi munere quod in Olysiponensi sede acceperat à
Personio, per multas ambages in Angliam delatus & in Societatem adop-
tatus, vixit cum Domino Ioanne Southcott (viro inter Catholicos no-
minatissimo) vndeuginti annis, variam expertus fortunam. Quarto e-
nim anno irruentibus per famuli incuriam summo manè apparitoribus,
antequam se in latebram conijcere posset interceptus, in Portæ-nouæ ob-
scurum humidumque specum coniectus est; vbi scamnum lectus, vi-
ctus cum facinorosis communis: Magis tamen sollicitum habebat hospi-
tis, in cuius domo captus, periculum, quam carceris incommoda: Hunc
vt intellexit saluum, cætera faciliè tolerabat: Quanquam non ita multo
post in commodiorem locum translato facultas illi fuit & *Francisco Pa-
gio* Martyri mutua inter se pietatis officia accipere & reddere. Poppamus
inter

inter eius temporis Iudices primus, cum ad possessiones Southcotti inuadendas anhelaret, omni arte moliebatur *Henricum* conuincere de Sacerdotio, modò per examina inquirendo, modò blandis promissis alliciendo ad fatendum quod res erat, modò per falsos fratres & Apostatas obseruando an hominem nosset, quæ omnia *Henricus* prudentiâ & cautione elusit, & se hospitemque suum præstitit immunem. Amotus Londino ad Arcem Framingamiensem in Comitatu Suffolciensi, sub finem Elizabethæ exul migravit Olyssiponem, vt quos posset Iustitores Anglos ad Ecclesiæ gremium reduceret: Illis contrâ, libertati & vitæ eius post puluerariam conspirationem detectam insidiantibus, & graues querelas apud Gouernam Præpositum domus Professæ deponentibus; quas à nimium credulo Romam delatas ipse diluit; Et rursus in Angliam proficiscens diuertit Audomarum, hæsitque ad annum Præfectus Spiritus. In Insulam deinde rediit, iterum iterumque captus modò in Atrio Wintoniensi, modò in Fleeta detentus est, vbi cum crebris ægri tudinibus penè conficeretur, Regina Caroli tempore intercedente libertatem consecutus est tantam vt ab inferenda illi molestia, vel ijs apud quos diuerfaretur vniuersi prohiberentur. Quæ immunitas vt alijs etiam esset utilis, animum adiecit ad ipsos Apparitores delatoresque comprimendos; numeratisque eorum artificijs quibus pecuniam ab Catholicis & Sacerdotibus emunctam in vltus suos conuertebant, (quæstui habentes munus quod ad Sacerdotes extirpandos acceperant) potestate exutos in ordinem redigi curauit. Quæ si cogitationem cuiuspiam afferant non esse tam atroces Catholicorum Sacerdotumque ærumnas quàm à multis describuntur, intelligat distinguenda esse tempora: Prouidet enim Deus, quædam quandoque interualla, vt in prima Christi Ecclesia, & in illis mitioris homines ingenij, nè tenso semper arcu Catholici animis frangantur & langueant; tum rursus ad certamina prouocat, vt cumulatius coronentur. Ilte vir strenuus, & ad vltimam vsque senectutem laboriosus indefessusque vitam cum meliori commutauit Londini; Professus quatuor votorum ab anno sexcentesimo decimo.

Ioannes
Floydus.

LIX. *Ioannes Henrici* Frater ætate minor, in Societate antiquior, experientiâ didicit non semper esse quæ videntur tuta: Nam vocatus ad nostrum *Oldcornum* in carcerem Wigorniensem, tenetur, neque se prece aut pretio extricare potuit Poppamo obsistente. Post annum exul, quatuor alios impendit Audomari concionando; ediditque in lucem varia ad Hæreticorum impudentiam retundendâ, magno applausu ingenij & doctrinæ. Tum rursus in Insulam rediit, & sæpius ab apparitoribus redemptus, migravit denique Louanium, Theologiæ explicandæ adhibitus; quibus in studijs, qua docendo, quâ scribendo reliquam triuit ætatem, ex hac vita repentina morte sublatus Audomari, Anno huius seculi quadragesimo nono, ætatis omnis septuagesimo septimo, Societatis quinquagesimo septimo, ab edita professione quatuor votorum quadragesimo.

Nn 4

Et hæctenus